

S. III.

Quae forma in Electionibus Regularium servanda sit ?

761 Circa formam, in Electionibus Regularium servandam, oportet prae oculis habere decretum Concilii Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 6.* quod ita sonat. *In Electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium & aliorum Officialium ac Generalium, quae omnia velle & sine fraude fiant, improvisis sancta Synodus districte praecipit, omnes supra dictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur &c.* Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, Electio irrita sit.

762 Ratio, quae decretum hoc extorsit, est: ut discordiarum & inimicitiarum, quae inter Religiosos, in communi viventibus, ex eligentium propalatione perfacile possent oriri, fons & fomes fopiat.

763 Tametsi autem Passerinus de Elect. *cap. 1. n. 58.* Fagnanus in *cap. quia propter 42. num. 6. & 19.* P. Reiffenuel ad *h. l. n. 336.* recitatum decretum ad solas Electiones Praelatorum temporalium restringant, propter illa verba decreti: *Abbatum temporalium*; eamque restrictionem certam esse, asseveret Clariss. P. Wiestner *hic. n. 213.* Ego tamen in hanc sententiam jurare nequeo: partim quia rubrica citata *cap. 6.* in Concilio Trident. generatim est concepta, quod omnes Superiores (Regulares) eligibiles eligantur collatione suffragiorum, partim quia sub iunctum nigrum, seu contextus capitris, rubricae apprimae concordat, dum sit iliter generali locutione asserit, in *Electione Superiorum quorumcumque* vota secreta esse conferenda: partim quia verba sequentia: *Abbatum temporalium*; non sunt restrictiva prioris termini generalis, sed extensiva & ampliativa, adeo ut in illorum quoque Superiorum, qui temporales tantummodo sunt, Electione praescripta forma, de votis secretis, ad amissum servari debeat.

766 partim quia, ut vota secreta dentur in Electione Abbatum perpetuorum, multo major & fortior est ratio, quam in Electione Abbatum temporalium: eo quod Religiosis electoribus majus longepericulum inimicitiarum & indignationis imminet, si Abbates perpetui ex publicatione votorum advertant, a quibus votum acceperint, a quibus non (longe gravius autem jugum est, quod in perpetuum, ac quod pro brevi tempore portandum est) partim denique, quia consuetudo est genuina & optima Legum dubiarum interpretis: haec autem, fatentibus ipsismet Authoribus contrariis, talis est apud plerosque Regulares, ut vota non tantum quomocumque secreta sint, sed in scheda aliqua scribantur & claudantur, ac clausa in urnam vel calicem conjiciantur, ita quidem, ut neque scrutatoribus innotescat, cui singuli sua vota dederint.

768 Tamburinus de *J. A. tom. 1. disp. 5. quae. 5. n. 9.* Layman. *quae. 73. resp. 4.* P. Engel *h. l. n. 35.* P. Pirhing *ed. cit. n. 397.* Qui & alii Auctores

communiter supponunt, formam in *cit. loc.* Concilii definitam, in Electione quorumcumque Regularium adhibendam esse, quod facit decisio Rotae Rom. in *n. 395.* allegata.

In dubium autem vocari potest, utrum non eodem Concilii decreto triplex forma Electionis per inspirationem, compromissum, & scrutinium in *cap. quia propter 42. b. 1.* determinata, fuerit abolita? Sic enim tenuit Fagnanus in *cit. cap. quia propter an. 2.* cui quoad inspirationem & compromissum adsupplatur Clariss. P. Guetrather in *Porta honor. cap. 4. §. 2. n. 17.* secutus Passerinus de *Elect. cap. 1. n. 59.* & Barbosa in *Colectan. ad cit. cap. 6. Trid. n. 15.* Contra quos

Dico I. In Electionibus Regularium valet etiamnum modus eligendi per inspirationem. Tamburinus *cit. disp. 5. quae. 5. n. 9.* Layman. *q. 182. resp. 1.* P. Engel *h. l. n. 33.* P. Wiestner *Epitome p. 1. cap. 3. num. 19.* P. Wiestner *hic. n. 217.* Ratio est: quia vera inspiratio, cum a DEO fiat, nec constitutioni nec mutationi humanae Legis subest. Praesumpta quoque inspiratio vel ideò in dispositione Concilii non fuit comprehensa: quia mens & finis illius erat, praescindere filium & semen averisionis & odiorum inter Confratres & Capitulares cõvivenes. Atqui non est, cur timeantur odia vel averisiones, ubi tanta votorum & animum, in unum convenientium, concordia, ut merito ex Spiritu sancto ortum transire praesumatur.

Dico II. Neque modus eligendi per compromissum in Trident. quoad Regulares est seblatus. Auctores anteriores. Ratio est: quia, si probe legatur integer tenor saepe *cit.* constitutionis, ea, quae de votis secretis noviter decreta sunt, ad solam scrutinium formam referuntur: dum enim ibidem prohibetur, ne singulorum eligentium nomina publicentur, de compromisso non est cogitatum, utpotè in quo non eligunt singuli, sed aliqui tantum nomine singulorum.

Dico III. Neque modus eligendi per scrutinium in *cap. quia propter 42. b. 1.* praescriptus, per Tridentinum est sublatus. Ita Rota Romana in *recent. p. 4. in una Martensis Monasterii to. 2. dec. 12. per rot. praesertim n. 9. & ult. & in una Trevirensis Abbatis S. Maximini to. 3. dec. 574. per rot. praecipue n. 14. & seqq.* Ita P. Wiestner *h. l. n. 218.* & ut credo, omnes in *n. 770.* relati Auctores. Ratio est: quia Trid. tanquam Jus posterius, non praesumitur tollere voluisse Jus antiquius, nisi in quantum expressit. Atqui voluntatem tollendi nusquam expressit, sed tantum in *cit. l.* votorum secretam rationem haberi petit, ut eligentium nomina nunquam publicentur: cui petitioni forma scrutinium, in *cit. cap. quia propter praescripta,* ne utquam adversa, sed maxime consona videtur, velut in puncto notavit Rota *d. dec. 574. n. 16. & seq.* Ex quo

Infer-

775 Infertur: hodieum Electiones Regularium per scrutinium celebrari posse, & debere in omnibus & per omnia conformiter *cit. cap. quia propter*; eo solum excepto, quod collatio zeli ad zelum exclusa sit. Quae ipsa tamen collatio suppletur ex praesumptione, quod Regulares propter statum, quem professi sunt, sine vitio simoniae alique ex bono zelo elegerint.

776 Neque primam & secundam conclusionem evertit Declaratio Cardinalium, ab Authoribus adversi dogmatis adducta: utrum enim authentica sit? utrum universalis, & non particularis? Tandiu prudenter ambigere possumus, quamdiu non ostenditur in forma authentica. Clariss. P. Wiestner *cit. l. n. 18.*

777 Neque tertiam conclusionem prostravit Regula S. P. Benedicti, quae in *cap. 64.* nihil aliud ad Electionem Abbatis exigere videtur, quam ut ipsum tota congregatio, vel pars ejus, quavis parva, seniori consilio elegerit.

778 Enimvero, sicuti soletur advertit Rota *d. decis. n. 51. & seq. S. Pater* de modo eligendi nihil determinat, sed dispositioni SS. Canonum tacite relinquit; consequenter modus scrutinium, in *d. cap. quia propter ordinatus,* non excluditur, sed per illum, tanquam constitutionem posteriover, declaratur aut suppletur. Quod verò sustineatur Electio, a parte minori, sed saniori, facta; non ita exaudiendum est, quod pars quavis, etiam minima, sufficiat; neque etiam, quod sufficiat pars major respectu minoris; sed pars parva respectu totius, ut electio legitime censatur, qui non quidem ab omnibus, sed tamen a majori, quam dimidia parte Capituli; vel saltem qui a paucioribus in casu, quod major pars eligit indignum, assumptus est, conformiter dictis in *n. 411. & seqq. Perez commentar. in cit. cap. Reg. n. 2. Eminenti. Card. de Luca de Regular. disp. 11. n. 4.*

780 In dubium vocari potest II. quomodo salvetur scrutinium Regularium, quando plures vel pauciores schedulae seu fabae, per quas electores Regulares, ad accuratè servandum scrutinium secretum, plerumque sua conferre suffragia consueverunt, quam sint electores, actu praesentes; aut etiam schedae prorsus vacuae vel albae reperiuntur?

Resp. videndum esse, num computatis ejusmodi exundantibus, redundantibus, vel deficientibus schedis, nihilominus inveniatur vota absolute majora; nec ne. Si hoc non poterit Electio censeri Canonica: utpote cum incertum sit, an electio canonicus votorum numerus suffragetur. Si illud; Electio nihil fecius sustinebitur ex regula in *cap. 37. de R. J. in 6.* quod utile per inutile viciari non debeat. Card. de Luca *cit. disp. a n. 7. & de Canonice disp. 28. n. ult.*

783 In dubium vocari potest III. utrum in Regulari scrutinio vota absentium per literas dari valeant?

Resp. non magis valere quam in aliis Electionibus, de quibus in *num. 118.* quantumvis Layman *quae. 44.* Engel *h. l. n. 10.* Pir-

hing *ibid. num. 397.* valere existiment; qui tamen Auctores debent intelligi potius de voto, in literis dato, juxta declarationem in *num. 119.*

In dubium vocari potest IV. an Regulares absentes procuratorem constituere possint: cum mandato speciali de persona certa eligenda? Barbosa in *Colectan. ad cit. cap. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 6.* & P. Engel ad *h. cit. num. 10.* respondent negativè, afferentes Declarationem Cardinalium, & rationem, quod contra formam decreti Conciliaris nomen eligentis manifestari deberet, hoc ipsò, quod sciretur, certam personam ab ipso nominatam esse.

Sed, abstrahendò a Declarat. non rejiciò sententiam P. Pirhing *cit. loc.* indiscriminatim admittentis procuratorem. Ratio est: quia, sicut in Electione communi votum remanet secretum, esto procurator cum speciali mandato deputetur; ita & in Regularium Electione secretum manet: possunt siquidem ad Capitulum dirigi literae, in quibus procurator expressè constituitur; his ipsi tamen literis mandatam speciale de certa persona, per schedulam sigillatam, potest inseri: quò casu nomen eligentis nunquam publicabitur.

Si queras: quænam forma in Electionibus Monialium sit praefixa?

Resp. cum Layman *quae. 231.* eandem, quae in Electionibus virorum, scilicet per scrutinium, compromissum, & inspirationem; eamque à Concilio Trid. non esse sublata. Si tamen per scrutinium fiat Electio, aliqua specialia notanda sunt ex *cap. indemnitate 43. h. l. in 6.*

Primum est: si duæ partes Monialium, atque adeò ex 24. sedecim in unam personam conveniant, Superior Electionem confirmare, ac si Abbatis sit, Benedictionem impertiri tenetur, non obstante contradictione minoris partis; dummodò Electio probe fuerit examinata *d. cap. indemnitate §. sane.*

Secundum est: quando non duæ partes, sed major pars Monialium sive ex 24. tredecim v.g. in certam personam consentiunt, Electio quidem valet, sed tamen facta contra illam oppositiones & appellationes à Superiore, ad quem Confirmatio pertinet, sine strepitu & figura judicii audiri debent; ac, ne disciplina vel aetonomia pariatu interea dispendium, electa potestas administrandi (excepta alienatione & susceptione Monialium) in spiritualibus & temporalibus permittitur *cit. §. sane.*

Quodsi minor pars majori accedere velit, potest in continenti, & antequam ad actus extraneos deveniat, id facere; & eò quidem effectu, ut, si duarum partium consensum compleat, Electio perinde aestimetur, ac illa, in qua ab initio duarum partium suffragia in unam collimarunt. Quod medium pro faciliiori concordia Monialium adinventum est *d. §. sane.*

Tertium est: quando non major sed minor, vel etiam media pars de Conventu in unam

Y y 2

con-

consentit, tunc Electio in tantum est nulla, ut neque per accessum convalescere possit d. §. sane circa fin. quia accessus non absolucè (sicut in Electione Pontificis) in Electione Monialium est permittus, sed tantum in casu, quò aliqua per majora fuit electa, ad obtinendum duarum partium consensum, & inanes, ac superfluas lites & contradictiones amputandas.

791 Quartum est: quando Electio à Monialibus per viam compromissi est celebrata, & minor pars Conventus se opponit, electio à Superiore, institutò priùs diligenti examine, confirmanda, & si Abbatissa sit, benedicenda est; reservata tamen opponentibus facultate, denuntiandi vel accuandi electam.

§. IV.

Qualem Effectum operetur Electio Regularium?

794 Effectum, quem alie Electiones operantur, operatur etiam Electio Regularium. Ut proinde omnia, que in scilicet §. 1. à n. 475. de Effectu Electionis; & in §. 2. à num. 498. de Confirmatione Electi longius explicata sunt, amòdò non repeti, sed supponi debeant.

795 Unum quoad Electos Regulares, si Abbates vel Præpositi insulati sint, speciali consideratione dignum, est Benedictio, que aliquam analogiam cum Episcopali Consecratione in eo habet, quòd Benedictos in proximo gradu post Episcopos constituit, & illis participationem quandam de Ordinis potestate quoad usum Pontificalium & facultatem conferendi Ordines minores tribuat, ac semel impertita reiterari non debeat. cap. quoniam 1. Dist. 69. cap. cum contingat 11. de Act. & qual. & ord. praticendi. & arg. cap. capellanum 1. & cap. vir autem 3. de secund. Nupt. Atque in hoc sensu in cap. alterationes 37. XII. q. 2. Benedictio nomine Consecrationis honoratur.

796 De reliquo in plurimis Consecratio Episcoporum differt à Benedictio. Et in primis quidem Consecratio Episcopalis est verus Ordo, quatenus Ordo Sacramentum dicit, & characterem imprimit, juxta definitionem Synodi Tridentinæ sess. 23. can. 7. Cum tamen Benedictio non tam Ordo vel Sacramentum, quam Sacramentale sit; neque characterem imprimat, sed impositionem duntaxat manuum deprecatoriam contineat per cap. manus 74. l. q. 1. & cit. cap. quoniam 1. Dist. 69.

797 Secundò Consecratio debet fieri ab Episcopo. nec potest à S. Pontifice simplici Sacerdoti delegari ex num. 573. & seqq. Benedictio econtra, licet de Jure Communi & Consuetudine à solis Episcopis, assistentibus duobus Abbatibus, fieri debeat d. cap. quoniam 1. Dist. 69. cap. statimimus 1. de supplend. neglig. Prælator. cap. cum contingat 11. de Act. & qual. & ord. praticendi. at tamen ex privilegio vel delegatione S. Pontificis ab Abbate, vel Presbytero simplici potest peragi. Tamburin. tom. 1. dist. 11. q. 11. Layman quest. canon. 212.

798 Tertio: Episcopi Consecrationem intratrimestre, à die Confirmationis, petere te-

Quando autem major pars reclamationem, tunc Confirmatio & Benedictio, non tamen administratio, usque ad pleniorum causæ cognitionem. differenda est: nisi pars opponentium duas tertias conficiat, in qua hypothetice quidem administratio conceditur electæ d. §. cap. indemnitate 43. §. ceterum b. t. in 6. Ubi 793 in §. supra dicta omnia & singula, que de Monialibus, Religionem aliquam approbatam professis, statuta sunt, etiam ad illas feminas, que in Collegiis instar Canonicorum, absque Regula approbata, vivunt, extendi jubet Bonifacius VIII. Confer P. Layman quest. 232. & seqq. Barbolam in Collectan. ad d. cap.

nentur ex num. 447. Abbates verò secundum aliquos certum à Jure tempus non habent (statutum); secundum alios intra annum Benedictio nem sollicitate obstringuntur. Ex numero posteriorum sunt Tamburin. d. dist. 11. q. 8. Gonzalez ad cit. cap. statimimus de supplend. neglig. Prælator. n. 4. P. Wiestner h. t. n. 335. allegans pro se Clementinam 1. de statu Monach. in qua tamen intentionis suæ fundamentum non inveniunt. Fortè in Clem. ar. 800 tendentes 2. §. statimimus eod. tit. se fundare nituntur, ubi de Abbatibus constitutum legitur, ut intra annum, à sua Confirmationis tempore computandum, manus Benedictio nis suscipiant; aliqui à jure suo (nisi substructionabilis causa) profusus cecidisse, pronuntiantur. Sed neque hic in tuto se collocant. Nam dispositio, de Abbatibus proposita, nequit ad Abbates trahi; quia, licet masculinum comprehendat fœmininum, fœmininum tamen masculinum comprehendit, exemplò pessimum esse, dicitur in l. sua sit scriptum 45. in princ. ff. de Legat. 2. Egregie Panormitan. ad cit. Clem. attendentes n. 20.

Quartò: Consecratio Episcopis die Dominica confertur ex num. 550. Benedictio, et si de convenientia eadem die conferri debeat, nihilominus & alià die festiva, sicut Ordines minores, rectè confertur arg. cap. de eo 3. de Tempor. Ordinari. Panormitan. cit. loc. num. 17. Barbola de Offic. & Pot. Episc. part. 2. alleg. 17. num. 51. P. Engel h. t. n. 59.

Quintò: Consecratio potestatem Ordinis simpliciter tribuit, ad eò, illà deficientes, nullus actus Ordinis ab Episcopo possit exerceri ex num. 570. Benedictio tribuit quidem Abbatibus & Præpositis Benedictis ordinariò Jure similitudinariam Ordinis potestatem; absolucè tamen, ex privilegio Pontificiò, talis potestas Abbatibus & Præpositis non-Benedictis concedi potest; & de facto ex generali privilegio, in Corpore Juris clauso, omnibus Abbatibus est concessum, ut, si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione (sicut convenit) requisitus, substitutos Abbates benedicere rennerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, qua ad Officium hujusmodi pertinent, exercere.

ere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recitent. Textus & Gonzalez in cap. statimimus 1. de supplend. neglig. Prælat. ac alii Interpretes communissimè.

805 An ergo etiam Abbatissæ benedicantur? Non jam querere vacat: cum responso affirmativa in cit. Clem. attendentes 2. §. statimimus de statu Monach. expressissimis verbis adstruat,

dum Abbatissis præcipitur, ut sub poena privationis intra annum à die Confirmationis se benedici faciant. Quia tamen hæc Benedictio specialem potestatem Abbatissis non communicat, non est de necessitate ubique locorum adhibenda, sed ibi duntaxat, ubi moris est d. Clem. & §. ubi Panorm. n. 14. Layman q. 223. & alii.

SECTIO VIII.

De Electione Romanorum Imperatoris.

SUMMARI A.

807. Transitus ad Electionem Cesaream. 808. Jus eligendi habent Electores S. R. I. 809. & seqq. illorum origo ad tempora Ottonis III. & Gregorii V. referuntur. 815. & seqq. Referuntur Antiores, idem nobiscum sentientes. 820. & seqq. Numerus Electorum, unà cum congruentia panditur. 825. & seqq. Electores Ecclesiastici statim post Electionem eligere permittuntur. 828. & seqq. Investitura non requiritur ad exercitium juris eligendi. 829. & seq. Agitur de tutoribus electoribus. 831. In eligendo requiritur sexus masculinus. 832. Status sacularis. 833. Sanguis illustri. 834. Literarum peritia. 835. & seqq. Religio Catholica. 844. & seqq. Quicquid opponant Catholici. 857. & seqq. Natio Germanica. 861. & seqq. Refutantur argumenta contraria. 871. & seq. Aetas sufficiens. 873. & seq. Electio Regis Romanorum est extraordinaria. 875. & seqq. Præmittuntur antecedentia Electionis Cesaree. 882. & seq. Explicatur forma forisimii. 884. & seq. Et compromissi. 886. & seqq. Potest aliquis suo voto facere majora. 889. Compromissarius non potest delegare vicem suam. 890. Compromissum re integrâ potest revocari. 891. & seqq. Vota non debent esse necessario secreta. 895. & seqq. Electus statim administrare valet. 898. & seqq. Electionem sequitur Coronatio. 901. & seqq. Explicatur Germanica. 904. Longobardica. 905. & seqq. Et Romana.

§. I.

Penes quos facultas eligendi Romanorum Imperatorem resideat?

807 AD Electiones speciales specialissimò titulo reducenda est Electio Romanorum Imperatoris; de qua ex instituto quidem agunt Juris Publici Scriptores & Professores, atque inter hos duo nostræ Facultatis celeberrimi Collegæ, D. Hermannus Hermes in Fasciculo Juris Publ. cap. 6. p. m. & D. Franciscus Ignatius de Wolleren in quæst. select. Salzburg. quæst. 6. per tes. non tamen omninò calamum abstrahunt Canonistæ, repetentes ad cap. Venerabilem 34. h. t. & Clem. Romani un. de Furejur. Quibus eapropter morem gerere, ac pro materis integritate pauca aliqua de Electione Romanorum Imperatoris delibare volumus, cætera Publicistis relicta.

808 Causa efficiens hujus Electionis sunt Serenissimi S. R. I. Electores, penes quos facultatem eligendi privatè resideat, constat ex tota Aurea Bulla Caroli IV. Quoniam verò scilicet, quòvè annò tanta Septemvirorum potentia & auctoritas invaluerit, magna contentio & concertatio est inter Historicos & Politicos; aliquibus ad tempora Caroli M. aliis ad ætatem Gregorii V. Summi Pontificis, & Ottonis III. Imperatoris; quibusdam ad annos Ottonis IV. nonnullis ad lustra Friderici II; multis ad usum & consuetudinem provocantibus, ut videtur est apud cit. Hermes cap. 16. Vitriarium Institut. Jur. publ. lib. 1. tit. 13. num. 3.

Mihi præ aliis probatur judicium Erudicissimò mi Emanuelis Gonzalez in not. ad cit. cap. venerabilem 34. h. t. n. 5. docentis, Electorum Collegium & numerum auctoritate Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis institutum esse: quia verò cæteri Principes, qui ab Electione se exclusos advertabant, suffragium suum in re tam momentosa negligere detrectabant, ab initio non statim ad executionem Pontificiam institutionem devenisse, quousque ingentia mala, que ex plurium Electorum ad Electionem concurrul sequebantur, experti, successivâ demum observantia, ac longevâ consuetudine eandem constitutionem receperunt. In quo sensu Innocentius III. in cit. cap. venerabilem 34. h. t. dixit, jus eligendi Imperatorem ad Principes Electores de Jure & antiqua consuetudine pertinere; de Jure scilicet, si origo spectetur; de consuetudine, si effectus & observantia considerentur. Pari ferè ratione locutus est Carolus IV. in d. B. cap. 28. §. invenimus.

In hanc sententiam inclinare videtur Emmentiff. Sfondrati in Regali Sacerdot. lib. 1. §. 6. Rationes afferit: tum quia ex Sigeberto Historico ad annum MIL. constat, Ottonem III. inter alia cum Papa Gregorio V. de iis, que ad Imperii Jura spectant, egisse: tum quia ab Ottonem III. jus designandi successorem non amplius usurpatum, sed Imperium à Principibus

bus Germaniæ Henrico II. illius immediato successori per liberam Electionem delatum fuit; quod signum est, eò tempore mutationem aliquam circa Electores accidisse: alioquin Imperatores eò privilegio tam magnò, tamque utill successores nominandi nunquam abstinuissent: tum quia Otto III. liberis & spe liberorum carens, ne post ejus mortem ex causâ Electionis discordiâ Germaniam agitant, vicinò maximè, & ad omnia vigilantes.

814 Gallò, cum Pontifice sic convenit: tum denique quia constans omnium scriptorum, Germanorum & exterorum, Catholicorum & Lutheranorum est sententia, jus eligendi Cæsarem ductu & auspiciis Romani Pontificis ad septem Germaniæ Archi-Principes esse translatum.

815 In idem placitum propendere videtur Clariss. D. Collegæ de Wolleren *cit. l. sect. 1. n. 37. & seqq.* cum scribit, quòd Authores communiter tradant, Electores sumpisse originem circa finem sæculi decimi, curante Ottone III. Imperatore, & Gregorio V. Summò Pontificem. Quod eò verosimilius dicit: quia Ottonum stirps, in illo ipso Ottone deficiens, viam pandebat Electioni, cujus momentosum negotium sine præfatu & autoritate S. Pontificis, qui tunc erat Gregorius V. tractare, nefas credebatur: utpote cum non tantum universa tunc Germania Sedi Apostolicæ quam devotissimam se exhibuerit, sed & ipse Gregorius Germanus & cognatus Ottonis III. exhereditatus.

816 Subdit in *num. 42.* in comperto non esse, quàm diu reliqui Principes, Proceres, Status Imperii, & Germaniæ Populus adhuc concurrerint ad Electionem; dudum verò jam ante Auream Bullam, privatè omninò quoad reliquos Principes & Status, ad solos septem Imperii Electores jus eligendi Cæsarem devenisse.

819 Denique testatur Joannes Braun, in *lib. var. amenit. quæst. 6. antih. 6.* quòd sententia, referens ortum Electorum ad Ottonis III. tempora, plures nutiat auctores, quàm nomina sint Græcarum navium apud Homerum; quòdve ipsemet legerit obiter ferme 30. tam chronographos quam Jurisconsultos.

820 Electores, ad quos privatè tota Electionis causâ transit, ex constitutione A. B. (nam 8. vus nempe Dux Bavaricæ Anno 1624. & novus seu Brunsvicensis & Lunenburgensis novissimè Collegio Electorali accessit) sunt septem, tres Ecclesiastici, Moguntinus, Colonienfis, & Trevirensis, Archi-Episcopi; quatuor Sæculares, Rex Bohemæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniz, & Marchio Brandeburgicus, juxta vulgatos versiculos:

*Moguntinus, Trevirensis, Colonienfis,
Quilibet Imperii si Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux porcorum Ensis,
Marchio præpositus Camera, Pincerna Bohemus:*

Hi statunt Dominum cunctis per sacra Summum.

Rationem, quòd 4. ex Principibus Sæcula-ribus ad munus Electoris evecti sunt, hanc reddit Gonzalez ad *cit. cap. venerabilium in commentar. num. 30.* quòd, cum olim quatuor essent Ordines, qui Electioni Cæsareæ intererant, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, ex quolibet Ordine unus fuerit assumptus, ne ullus Ordo præteritum se posset conquiri. Quòd autem Ecclesiastici Principes ad Electionem admissi sint, rationem assignat *cit. Braun in thes. 6.* ut illi, quibus ad Imperatoriam Majestatem aspirare non licet, Principes Politicos, ne alter alterius votò ad tantum Imperii decus temerè aspiraret, in officio retinere possent. Rationem aliam ex Tacito de *Morib. German. cap. 11. §. 5.* assignat præcit. Clariss. D. de Wolleren, *num. 41.* quia Germani nostri etiam in ethnicismo suos Sacerdotes summâ autoritate publicis negotiis adhibuerunt; & quando ad Christianismum traducti sunt, nihil auspiciò gestum credere, nisi quòd Ecclesiasticorum Procerum accedens Religiosa Autoritas retrotraverit. Quò servit antiquum metrum

*Guntheri:
Huc sacri, celeberrime Viri, quos laude serena,
Insula, vel Gladus munda facti esse verendos,
Ex emni regione sumus ad publica Regni
Commota.*

Facit aliud ejusdem tenoris carmen:

*Est enim talis Dynastia Tensoniorum,
Ut nullus regnet super illos, nisi prius illum
Eligat unanimis Cleri Procerumque voluntas.*

Porro circa Electores Ecclesiasticos nihil refert quoad actum Electionis, an electi tantum, an simul confirmati & consecrati existant. D. Hermes in *fascic. cap. 6. n. 53.* Ratio est: quia Electio neque functio Ordinis est, neque actus Jurisdictionis, sed Officii Electoralis, ad quod Electores Ecclesiastici per Electionem habilitantur. Quin, cum S. Pontifex in *cap. nihil est 44. §. Episcopi h. e.* generatim concedat Episcopis, extra Italiam in concordia electis, potestatem administrandi: utique non petit, ut electi Archi-Episcopi & S. R. I. Electores ab Electionis negotio, quòd & ipsum Ecclesiæ Catholicæ bonum singulariter concernit, suspendantur. Hinc in pluribus Imperii recessibus leguntur subscripti Electores Ecclesiastici sub titulo *Electi*, ut demonstrat D. Wolleren *d. l. sect. 2. num. 6.* Legitur etiam eòdem teste *num. 5.* Fridericum I. Electorem Coloniensem illic post suam Electionem ad eligendum Regem Romanum, Maximilianum II. anno 1562. admisum fuisse.

Neque interest circa Electores tam Ecclesiasticos quàm Sæculares, utrum investituram de Electoratu acceperint, nec ne. D. de Wolleren *d. l. n. 8.* Ratio est: quia investitura non confert potestatem & prærogativam Electo-

Electoralè, sed in Ecclesiasticis Electio, in Laicis successio *arg. A. B. cap. 7. §. 2. & cap. 20.* Est enim investitura potius confirmatio, quàm collatio juris, jam antea præexistens in Electoribus. Rem exemplis roborat idem D. Collegæ *d. sect. 2. n. 9.* & præi firmatam docet Pfessing in *not. ad Vitriar. Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 9. num. 4. lit. b.* Contrarium quoad Electores Ecclesiasticos docet D. Hermes *cit. cap. 6. n. 54.*

829 Illa quæstio: an, si filius Electoralis pupillus vel minorennis sit, atque tutorem testamentarium acceperit, votum in Electione per tu-

torem testamentarium, vel tutorem legitimum, qui ex ordinatione A. B. *cap. 7. §. 4.* est agnatus senior, nuncupari debeat? Jam decisa videtur, dum praxis Imperii habet, quòd tutores testamentarii solummodò in rebus, Principatum tangentibus; in causis vero & functionibus Electoralibus qua talibus tutores legitimi ad votum & sessionem admittantur. Clariss. D. de Wolleren *cit. l. n. 22. & seq.* Idque literæ & menti Aureæ Bullæ omninò commensuratum esse, pluribus ostendit Henricus Coccejus *Jurisprud. publ. cap. 29. §. 17. & seqq.*

§. II.

Quis in Imperatorem possit eligi?

831 Certum est I. scæminam non posse eligi in Imperatorem. Cum enim scæmina neque privata officia gerere, neque munera civilla administrare possit: quò pacto falces Imperii Romano-Germanici capisset?

832 Certum est II. Clericos & Religiosos scæpti Imperialis incapaces esse. Ita & Aurea Bulla *cap. 2. §. 3. 4. & 5. in verb. temporale caput,* præscribit; & summa decencia efflagitat, ut, qui in pace & bello Cæsarem se esse, demonstrare debet, militem quoque sæculi hujus assumere non prohibeat.

833 Certum est III. in eligendo Imperatore vel maximè sanguinem considerari, ut nempe ad minimumque ex Comitum aut Baronum stemmate sit oriundus, qui non tantum Comitibus & Baronibus, sed & Ducibus ac Principibus imperare cupit. Plerumque enim, qui natalibus illustres sunt, virtutibus quoque, & excellis animi dotibus inclarescunt, ad habendas moderandas non tam eruditi, quàm nati.

834 Certum est IV. præter literarum peritiam, eximiam quoque virtutem in Imperatore desiderari, ne vel scientià destitutus sine modo ac mensura regat; vel pietate vacuus, verbò & exemplò magis obstit, quàm profit. Exprestit hoc A. B. *cap. 2. §. 1.* exigens, ut Imperator sit homo justus, bonus, & utilis. Confer Clariss. D. de Wolleren *d. l. sect. 2. num. 74. & seqq. & n. 83. & seqq.*

835 Verum in controversiam trahi video I. possitne in Imperatorem eligi A Catholicus, saltem Lutheranus vel Calvinista, in Imperio toleratus?

Resp. cum saniori & Catholica sententia negative. Ratio multiplex est. Prima ex Jure scripto, sacro & profano, in *cap. venerabilem 34. de Elect. Clem. Romani de Jurejur. l. inserclaras 8. Cod. de S. Trin. A. B. in præfat.* Secunda ex Jure non scripto. hoc est, antiquissimâ tot sæculorum nunquam interruptâ observantiâ, quâ docemur, nullum hactenus Coronâ Imperiali redimitum fuisse, nisi Catholicum & Orthodoxum. Cujus argumenti, esto negativum sit, eò major est vis, quòd clarius ex una parte liquet, totam A. B. omnesque Electorum prærogativas, in antiqua

observantiâ, vulgò dem alten Herkommen fundatam esse; nec minus ex altera parte constat, non attentò A Catholicorum contrariò molimine. nullum alium, quàm Catholicum Imperatorem, electum fuisse.

Tertia ex officio & obligatione Imperatoris deducitur, cui, tanquam Primario Advocato, vi Capitulationis *art. 1.* incumbit, sedem Apostolicam tueri, defendere, & protegere, ac juratò sanctam fidem Catholicam & Apostolicam, nec non debitam reverentiam Sanctissimo in Christo Patri, Romano Pontifici (ut videre est apud Vitriarium *l. 6. tit. 8. n. 2. in not. lit. l.*) ante & post coronationem spondere. Quòd profectò non sponderet, ne dum faceret Imperator A Catholicus, animò & linguâ à Sede Romana alienus. Ergo licet Carpovius *infra cit.* cum cæteris reputat, Imperatorem A Catholicum aut obligationem non habere, istum articulum servandi: eò quòd Electores A Catholicis continud protestentur contra illius propositionem; aut saltem eam obligationem ultra vim injustam se non extendere: quia tamen Electores Catholicos, numerò potiores, ejusdem articuli observantiam nunquam non urgent; neque vim injustam tantummodò à S. Pontifice avertere, sed etiam positivam illius & fidei Catholicæ defensionem intendunt: nequeunt A Catholicis, ob ipsam protestationem contrariam, eligi.

Quarta ex impossibili eruitur: cum enim Electores Catholicis & hodie sint, & olim fuerint numerò majores A Catholicis, nunquam in Imperatorem, Proelectatum sacris addictum, major votorum numerus convenire poterit, Catholicis in Catholicum partim ex Justitiâ, partim Religionis virtute suffragia dirigentibus. Quam rationem haud dubiè ponderans Gabriel Swederus in *Introduct. in Jus publ. part. spec. sect. 1. cap. 2. num. 3.* cum Lymnæo *tom. 2. n. 88. in fin.* ac Hornio *Jurisprud. publ. cap. 17. §. 13. tenit*, & scripsit: *juu nostratibus* (alterius quàm Catholicæ Religionis) quidem non deesse, sed praxis vix sperandam, vel omninò non, nisi prius magnos dissolutum obices via Calestis removerit.

Quinta ex absurdo sequitur. Nam electum

ex Lutheranis & Protestantibus nemo unquam consecraret, aut coronaret; Electoribus Ecclesiasticis, quibus ejusmodi munia de Jure competunt, id facere detrectantibus: nemo quoque ex Regibus Hispaniæ, Galliæ, vel Lusitaniæ tali Cæsari primatum cederet, cum non modico Imperii Romano-Germanici dedecore, cujus Imperatores tam Romæ quam alibi cæteris omnibus Christianis Capitibus superiores esse, hæcenus credebantur.

841 Sexta ex summa æquitate & necessitate petitur: quia nempe & naturale, & morale est, rem aliquam iisdem modis conservari, quibus producta & primitus introducta noscitur. Atque Imperium Romano-Germanicum in personam Germanam, & Romano-Catholicam, Carolum videlicet, nomine & opere Magnum, in prima sui productione à S. Pontifice translatum est, sicuti ex *cap. venerabilem 34. h. t. & Clement. Romani de Jurisjur. atque Historicis, veritatis & sinceritatis germanæ studiosis*, plusquam meridianum est. Ergo in persona Romano-Catholica servari, & perpetuari debet.

844 Carpzovius disputat. *secund. q. 2. ad A. B. Vitriarius Hist. Juris publ. lib. 1. tit. 5. n. 4. Pfeffingerus in not. ibid. lit. a. Scharfchmid ad Schyzius in Colleg. publ. Exercit. 2. th. 9. lit. K. & reliqui ex Publicis Acatholicis pro domo sua adducunt I. Recces. Imp. de Anno 1555. §. damit auch & Instrumentum Pacis Westphal. art. 5. §. 1. ubi totalis paritas Catholicos inter & Acatholicos in Imperio stabilita videtur, ibi in reliquis omnibus autem, inter utriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes & singulos, sit æqualitas exacta, mutuaque, quatenus forme Reipublicæ, Constitutionibus Imperii, & presentis Constitutioni conformis est, ita ut, quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum &c.* Adeoque inferunt, etiam in eligendis ad Imperatoriam dignitatem æqualitatem esse statutam.

845 Sed infirmum & imbecille hoc argumentum esse, solidè declarat sæpe laudatus D. de Wolleren *cit. sect. 2. n. 58.* Nam præsentia paritas non absoluta, sed limitata, & in eo solum fundata est, quòd, sicut Catholicis in suis possessionibus & libero Religionis exercitio ab Augustanæ Confessioni additis turbari non debent; ita nec Protestantes à Catholicis.

846 Cæteroquin non solum in Collegio Principum, sed etiam in Collegio Electorum paritas & æqualitas votorum introducta; & quod magis est, vel duorum Imperatorum, Catholicis & Acatholicis, simultaneum regimen; vel saltem alternativa Electio statui necessario debuisse. Cujus tamen fallentiam quis adeò

847 tenebrosus est, ut non palpet? Deinde demus, absolutam & totalem in Imperio paritatem vigere, exinde tamen ad simultaneum vel alternativum regimen eò minus concludere licet, quòd magis in proverbio Juristarum est, in generalibus concessionibus & constitutionibus, ea, quæ specialia & singu-

laria sunt (qualis utique est Suprema Imperii dignitas) non venire.

Denique ipsissimus *articulus 5. §. cit. cate. 848* nunc exactam in Imperio paritatem desiderat, quatenus formæ Reipublicæ & Constitutionibus Imperii conformis est. Sed habet Acatholicum Imperatorem, Constitutionibus Auræ Bullæ & Capitulationibus Cæsareis, ipsiusque Reipublicæ formæ *ex n. 835. & seqq.* non est conforme. Ergo &c.

II. iidem Authores arguunt hæc modò, 849 Quidoneus est, ut eligat Imperatorem, idoneus etiam est, ut in Imperatorem eligatur. Sed Acatholici Principes idonei sunt, ut eligant Imperatorem. Ergo idonei etiam sunt, ut eligantur in Imperatorem.

Hoc argumentum priori debilius, & tan- 850 te imbecillitatis est, ut miret, quòd Viri, doctrinà conspicui, illud proponere audeant. Major siquidem propositio falsissima est, ac innumeris pene instantiis illius contrarium probari potest: dum in Electionibus Ecclesiasticis sæpenumerò aliquibus votum activum competit, veluti excommunicatis, irregularibus, in minori ætate constitutis &c. absque eo, quòd votum passivum habeant. Sed & in 851 ipsa Electione Cæsarea Electores Ecclesiastici vocem activam habent absque passiva; suntque ex numero eligentium, non autem ex classe eligendorum. Rursus & è diametro tam in reliquis Electionibus quam Imperatoria aliqui possunt eligi, omnes scilicet extranei, quin possint eligere. Cur ergo tanta 852 sit connexio inter eligere & eligi posse, ut, qui potestatem eligendi habet, simul & capacitatem per Electionem ad Imperium electivum perveniendi habere debeat? Poterunt itaque Electores Acatholici jus eligendi Imperatorem habere, quantumvis in sua persona non possint eligi.

Tertiò aliqui sic argumentantur. Impe- 853 ratores olim erant Ethnici; ipsique Imperii Vicarii sunt & possunt esse Acatholici. Ergo & hodie Imperatores possunt esse Acatholici.

Sed & hoc argumentum elumbe est. Enim- 854 verò ex eo sequeretur, hodieum Ethnicos ad Imperii fastigium elevari posse; quam tamen sequelam, velut Auræ Bullæ & rectæ rationi adversari vel ipsi Adversarii resistunt. Verum est, Ethnicos Imperatores in Imperio regnasse, sed è ætate, quæ jure hæreditariò succedebat Ethnici. At ea nunc sæcula vivimus, in quibus translatum à Sede Apostolica ad Christiano-Catholicos Imperium per tales personas continuandum, in quales ab initio devolutum est. Verum quoque est, 855 Vicariis Imperii Protestantium fidem non obesse. Sed quanta inter hos & Imperatorem differentia! Illi singularem relationem ad dependentiam à Sede Apostolica non possidentur; neque Advocati Romanæ Ecclesiæ dicti, neque juramentò ad illius defensionem adstricti, neque in Caput imperii cum perpetua-

tuitate assumpti. In suam originem, relationem, & dependentiam à Sede Apostolica non differtur, ad illius defensionem Advocatus, juratò constitutus, ac in Caput Imperii & Principem omnium Coronatorum Capitulum cum perpetua evecus. D. de Wolleren *cit. sect. 2. n. 80. & seqq.*

857 II in quæstione deduci video: an Imperatoris diadema occupare possit non Germanus?

Resp. cum Clarissimis Germaniæ Professoribus, & tribus Facultatis nostræ Collegis, D. Hermes in *Falsis. cap. 7. n. 25. & seqq.* D. Balthasar Braun *tr. de Magistratu cap. 5. §. 2. n. 14.* D. de Wolleren *cit. sect. 2. n. 90. & seqq.* D. Vitriario *cit. lib. 1. tit. 5. n. 3.* D. Swedero *cit. cap. 2. n. 4.* D. Coccejo *Jurisprud. publ. cap. 8. §. 1. n. 3.* D. Hornio *Jurisprud. publ. d. cap. 17. §. 8. negativè.*

858 Ratio est I. quia, ut in *n. 443.* dicurimus, Imperium Romanum per easdem personas est propagandum, per quas acquisitum erat. Sed Imperium Romano-Germanicum per Germanum, Carolum Magnum, acquisitum est, non activè solum, ut Germani eligerent Imperatorem, sed passivè, idque principaliter, ut Germanus in Imperatorem eligeretur per textum in *cap. venerabilem 34. de Elect. ibi: Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Gracis transfuit in Germanos: neque enim, ut bene arguit D. Hermes cit. l. n. 27. rectè diceretur Imperium à Gracis ad Germanos translatum, si Gracis adhuc eligi posset. Ergo &c.*

859 Ratio est II. quia, tametsi Lex expressæ Imperii publica non extet (de qua tamen Nations est inter Publicistas) quæ extræ Nationes à Corona Romano-Germanica excludantur: attamen inveterata consuetudo, contradictione quoque & protestatione Gallorum in Electione Caroli V. confirmata, sufficienter ostendit, aliis, quam Germanis, fores Imperialis Palatii non referari.

860 Ratio est II. quia Principes Electores, tanquam Imperii curatores & procuratores, tenentur omni, quò fieri potest, modò salutem Imperii in Electione Imperatoris, promoverè. Sed, eligendò extraneum non-Germanum, potius perdunt, quam curant Imperii salutem: tum quia teste *Æneà Sylvio apud D. Hermes cit. num. 25.* familiæ Principum & Procerum Imperii extraneis multò illustriores & sinceriores sunt: tum quia peregrini, uti moribus & ritibus diversis affueti sunt, ita amorem & affectum subditorum sibi conciliare tam facile non possunt: tum quia, quæ alienum Imperium tenent, non tam Imperii & patriæ bonum, quam suum & privatum commodum primariò respiciunt: tum quia, ut dissentit D. Braun *cit. usu competentum est, promotiones & antelationes exterorum præincolis sæpe existisse tum Rebus publicis, tum ipsi etiam promotibus ac promotis exitiosas.*

861 Dices I. ex eo, quòd à tempore immemoriali per tria fere sæcula semper electi fuerint P. SCHMIEB. JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

Imperatores Austriaci, non sequitur, consuetudinem & obligationem esse introductam, Austriacos semper eligendi. Ergo etiam ex eo, quòd semper per sæcula plura fuerint electi Germani, non sequitur, consuetudinem & obligationem esse introductam, semper eligendi Germanos.

Resp. negandò conseq. & paritatem. Eni- 862 sparitas occurrit multiplex. Inprimis dim non amplius esset Electio, si soli deberent Austriaci ad Summos Imperii fasces Electionis viâ transferri, sed potius esset introducta successio hæreditaria vel quasi. Deinde Im- 863

peratores Austriaci vigore Capitulationis, prout videre est in novissima Carolina *art. 2.* jurant, quòd ex Imperio Romano-Germanico regnum hæreditarium efficere, vel ad suos aut alios successores hæreditarios transferre non velint.

Denique diuturnitas tem- 864 poris, quò semper electos vidimus Austriacos, si quid juris Austriacis conferret, non tam consuetudinis quam præscriptionis rationem haberet: & tamen, quia præscriptio desiderat possessionem & bonam fidem ex parte præferentis, Austriacæ Domui, ex libera eligentium voluntate, citra necessitatem vel obligationem electæ, conducere non potest.

Dices II. Consuetudo, quæ semper electi 865 dicuntur in Imperatores Germani, neutiquam continua & uniformis, sed distorta & interrupta probatur. Siquidem ex historia patulum est, Alphonsum, & Richardum ad Imperii clavum ledisse. nec tamen Germanos, sed Hispanos & Anglos fuisse.

Resp. cum Authoribus nostræ sententiæ, de 866 memoratis Imperatoribus certò non constare, num legitime fuerint electi, vel magis intrusi; num electio ad effectum, & electi ad imperium pervenerint; num pacatò vel perturbatò Reipublicæ statu exterorum vocatio acciderit.

Et, si constaret, sufficienter 867 mihi tempora posteriora, quibus non tantum Germani soli noscuntur electi, sed etiam in Electione Caroli V. Galli, vel extranei, quantumvis ab Electore Trevirensi sumopere commendati, à Moguntino (cui postea Electores cæteri subscriperunt) propterea sunt exclusi, quòd non deceat aut liceat alios, quam Germanos, eligere. Quò factò ab 868

legata prius consuetudo ab Electoribus. ceu præcipuis Imperii Romani Principibus, communi nomine agnita, & (quòd maximum consuetudinis est pondus) contradictoriò judicò probata fuit.

Dices III. Carolus V. & Ferdinandus I. 869 non fuerunt Germani, sed Hispani; consequenter adducta consuetudo non tantum per antiquiores, sed etiam recentiores actus interrupta fuit.

Resp. & Carolus I. & Ferdinandum I. 870 fuisse Germanos, utpote natos ex Philippo, Maximiliani I. Austriaci filio, & illum quidem Gandavi, Germaniæ inferioris urbe. Accensetur autem in presentia materia Germanis, vel qui natus est in Germania, vel etiam qui